TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

7.

DE

DYSENTERIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALLAN GILMORE,

EX INDIA ORIENTALI,

COLL. CHIR. REG. EDIN. PERMISSUS.



Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

E PRELO JACOBI BALLANTYNE ET SOC.

MDCCCXXVI.

For Dr Dickson
with the Complements
of the Author

PATRUIS SUIS

ALLAN GILMORE,

ET

MUNGO W. GILMORE,

ARMIGERIS,

HOC TENTAMEN MEDICUM

CONSECRAT

ALLAN GILMORE.



TENTAMEN MEDICUM

DE

DYSENTERIA.

AUCTORE ALLAN GILMORE.

Morbus de quo tractandum est propriam sibi attentionem vindicat, præcipue quia summum periculum secum affert. Neque hoc cuivis dubium esse potest nam constat, in regionibus nonnullis sole verticali calefactis, e quatuor quibusvis de mortuis, tres usque Dysenteriæ succubuisse. Inde consilium compluribus qui historias symptomatum luculentas tradiderunt, indicare aliis, remedia Dysenteriæ quibus debellari possit.

Quo majoris momenti morbus quicunque fuerit, eo, magis oportebit ut notitiam de eo per quamvis definitionem accuratam, habeamus,

Nam ad curationem gradus est morbum novisse. Hippocrates autem et alii medici veteres multas affectiones abdominis, sub eodem nomine sine discrimine, designant; et definitio quam Celsus proposuit parum convenit; ulcerationes enim etsi sæpe accedant, non semper Dysenteriam comitantur.

Symptomata essentialia sunt, dolor atrox in imo ventre, pressu auctus, stimulus ad desidendum perstans, dejectiones mucosæ vel sanguinolentæ, et tenesmus, quæ ex inflammatione membranæ mucosæ coli oriuntur, quæque simul sumpta, morbum constituunt homines sporadice afficientem, sed sæpius tum in plagis tropicis, et in Europa, epidemice in populos grassantem; et semper habentem causas omnino similes.

Nosologi quasi ex officio species plurimas varietatesque instituere conati sunt; me judice tamen, si etiam inter se facile dignosci possint, discrimina talia levia, inutilia sunt, ideoque duas varietates morbi solummodo, vel potius stadia, Dysenteriam acutam et chronicam considerare oportet.

Genus Dysenteriæ, a celeberrimo CULLEN in classe Pyrexiarum, ordine profluviorum positum est, et his verbis definitur. "Pyrexia contagiosa dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguino-

lentæ retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina, tenesmus." Morbus plerumque primo cum languore, lassitudine, et aliquavis ventriculi intestinorumque molestia ægrum adoritur. Secundum SYDENHAM, qui nobis, historiam Epidemicæ Dysenteriæ, quæ autumno anni 1669 et annis subsequentibus grassabatur, tradidit; a rigoribus incipit, quibus deinceps et paulatim succedunt calor auctus cutis, tormina, aliaque morbo isti propria signa. Vitium simile quo ipse laboravi antecesserunt dolor capitis, et horror, quibus supervenit dolor obscurus dorsi, in regione lumborum præcipue, et in artubus inferioribus; siti magna, et pulsu frequentissimo comitantibus.

Sæpius igitur accidit ut solita febris indicia affectionem topicam antegrediantur, in aliis autem exemplis, eidem succedant; et Dr BALLINGALL, in tractatu de Dysenteria Indica, ait eam sæpe haud parum provehi, et læsionem gravem fortasse immedicabilem intestinis inferre, antequam ulla indicia Pyrexiæ urgentia vel ægro ipsi molestiam facessunt, aut sese medico conspicienda produnt.

In exemplis levioribus, lingua albida est, aut sorde flava obducitur, et, nisi intestina tenuia quoque correpta sint, apex ejus et margines pallent, nausea et interdum vomitus adsunt. Alvus

adstricta est cum flatu ingenti, secretionibus cutis, jecinoris, renumque, vel suppressis vel saltem imminutis. His signis comitantibus immania tormina ventris, contractiones spasmodicæ recti, doloresque horrendum cruciantes, huic malo formidoloso proprii, quoque semihorio vel sæpius etiam, redeuntes, miserum invadunt, qui sudore frigido glutinoso madens, ut levamine exinde fruatur, ad alvum dejiciendum sed frustra nititur; unde interdum anus prolabitur atque æger irritamento novo ita lacessitur. Dejectiones tandem, et etiam frequentissime redduntur sed uti à CULLEN annotatur, parcæ, et dolores spasmodicos abdominis brevi tantum sublevant. Ad initium nihil fere præter intestinorum mucum, parum olentem excernitur; aspectumque materiæ fæcalis, ne quidem scybalorum raro præ se dejectiones ferunt, interdum autem fuscum colorem habentes gravissime olent. Nunc ex muco pellucido constant, nunc aquam in qua carno putrescens lavata fuit referunt.

Morbo provectiore quod dejicitur ex muco viscido cruento formatur, vel sanguis sincerus postea excernitur et denique nisi morbus remediis idoneis reprimatur, inflammatio cito in ulcerationem abit, et pus evacuari potest quod fœtore insigni dejectionum indicatur. Quum affectio localis sese plene prodiderit signa exci-

tationis generalis sæpe mitissima fiunt; nonnunquam tamen febris quæ comitatur indolem admodum inflammatoriam induit: sitis vehementer urget, cutis aridissima est, pulsus frequens, durus, sanguine detracto loricam coriaceam ostendente; malum quoque locale gravius urget, febrim accendit et ab ea invicem augetur. Æger fere perpetua desidendi cupiditate lacessitur dum dejectiones ob recti constrictionem eximiam parcissimæ omnino sunt. Dolor fixus in aliqua abdominis parte perstat, hoc ipsum valde tensum est; morbusque ob actionem graviter inflammatoriam citissime in mortem desinit.

Altera varietas Dysenteriæ est in qua, ægri spiritus arcte means, calorque urens in regione abdominis, artubus inferioribus rigentibus, et pulsus parvus, debilis; lingua atra, delirium, petechiæ, summa prostratio virium, et macies febrim Typhodem insigniunt.

Febris remittens quoque frequentissime simul cum vitio Dysenterico homines corripit, adeo quidem ut multi auctores BALFOUR præcipue existimaverint, dysenteriam, semper alterius prolem esse, sed de hoc argumento rectius agetur quando ad causas excitantes recensendas ventum erit.

Nunc sequitur ut in hoc morbo proprias notas

explicem quæ vel spem vel periculum ostendant. Terminationem felicem fore, sperare licet si excitatio generalis temperatior evadat, si tormina, et tenesmus, minus instanter urgeant; si intervalla paroxysmos spasmi intercedentes longiora fiant, si quod naturale est, alvo dejiciatur, hoc profecto quasi primum sanitatis rediture indicium læte habendum est: Si æquilibrium secretionum antea deturbatum jam restituatur, secretione nimirum bilis copiosiore facta, sudore bono prorumpente, copiaque urinæ aucta, si porro vehementia signorum, ptyalismo superveniente, imminui videatur. Indicia infausta plurima sunt et adeo vere et graphice a Wagler depinguntur ut non profecto ea melius quam ipsius verba admodum idonea citando enarrare possim. Postquam signa species mitioris breviter recensuit hæc habet. Rebellius vero malum longe pejora symptomata comitantur statim nempe vires franguntur, prosternitur appetentia ciborum, urget sitis, frequenti ad desidendum stimulo lacessitur æger, junguntur borborygmi, tormina, dolores atroces in imo ventre, et inter tenesmos dejiciuntur excrementa tenuia, sanguine permixta, quin sincerus sanguis, modo exsanguia, mucosa plus minusve putrida atque fœtentia. Dolent præterea fauces siccæ, quin exulcerantur, lingua rubra, aspera, sicca in sulcos finditur veluti ex-

ulceratos, muco albo, flavo aut purulento tegitur atque papillis elevatis obsidetur, sensim tumida, atque obscure rubra exulceratur quasi, et non nisi ægre exseritur. Pulsus frequens parvus, impeditus, debilis quin celer, mollis, intermittens, versus morbi occasum tactum prorsus subterfugit; floret facies, accedunt interdum dolores punctorii in thorace, sed minus constantes. Urina pauca redditur, sub-pellucida, crassa, pinguis, flava sine nubecula et sedimento. Ingravescente morbo, interdum jam die quinto inflammantur genitalia cum regione ani; sensim inter atrocissimos sub dejectionibus alvinis et urinæ missione cruciatus, excoriantur, exulcerantur, et tandem fiunt gangrenosa. Alia insuper pessimæ notæ symptomata in priorum satellitium trahuntur, satis constantia ut cardialgia, anxietates præcordiorum, hypochondria tactu dolentia, nausea, vomituritio, internus abdominis æstus, cum calore externo, status etiam soporosus, et imi ventris tympanitica inflatio. Expallescit quo magis ad occasum vergit morbus, facies, quin subito in hippocraticam mutatur. Excrementa fœtentia, nigra effluunt admisto interdum lumbrico. Respiratio hactenus sub morbi decursum bona fit brevis, sonora, anxia, profunda, intermittens, cum debilitate, atque frequentia: vox vero rauca, obscura, debilis, interrupta. Inter paten-

tem oris rictum eminent dentes squalidi utrimque sicci, subsiliunt tendines, convelluntur artus imprimis superiores, et tandem mors ineluctabilis scenam claudit.

Symptomata maxime metuenda sunt si dejectiones copiosissimæ et creberrimæ sint, fæcibus alvinis pertinaciter retentis, atque torminibus, et tenesmo gravissimis perstantibus. Sed inter hæc quidem etiam in exemplis pessimis qualia in plagis tropicis accedunt, spes tamen superest; ad ultima vero jam ventum esse indicium est, si hydrargyrum ptyalismum inducere nequeat. Pessimum est si abscessus sive sphacelus supervinirent. Hæ conditiones intestinorum cadavere inciso, facile deteguntur; et ægro jam spirante abscessus indicantur febre hectica, sphacelusque sic deprehendi potest, si dolor subito cessat, unde æger de sanitate recipienda sperare melius incipit, dum vultus collapsus, tempora adstricta, pallorque qui nares labiaque decolorat, oculique concavi, eorumque splendor vitreus, et prostratio summa virium, cum pulsu intermittente medicum certiorem faciunt mortem esse in propinquo.

Tantum vero abest ut forma acuta in lethum semper ita subito desinat, ut per hebdomadas aliquot, etiam menses morari possit. Quum morbus inveteravit a medicis Dysenteria chronica adpellatur sive a conditione Diarrhœæ simili

tantum, sive ab ulceratione intestinorum materiam purulentam effundente pendeat. In exemplis mitioribus etiam, si æger minimo appulsui frigoris, vel errori diætæ objiciatur, tormina, et tenesmus statim accedunt. Facile exacerbatur morbus et profluvium materiæ dysentericæ continuo adest, vel saltem post intervalla brevia cum dejectionibus fæcum solutarum, vice mutua, alternat. In quibusdam exemplis loturas carnis referentes, vel interdum pice nigriores descendunt. In aliis eæ dejectiones apparent muco narium coagulato similes insignes quæ huic vitio nomen morbus mucosus imposuerunt. Doctor Ballingall dicit hanc conditionem chronicam serius vel ocyus symptomatibus acutis supervenire posse, eam tamen citissime fieri in regionibus tropicis, quando Dysenteria afficit eos qui ibi diu vitam degerint, quique antea eodem morbo laboraverint, vel eos tali constitutione præditos qui minus morbis inflammationem habentibus pateant, sed fellis secretioni abnormi atque turbatæ obnoxiores sint. Dysenteria chronica ob naturam suam tardam et parum tractabilem quia porro vires ægroti exhaurit et in acutam reditu facilis est, sæpe effectibus medicamentorum obsistit, spes medici fallit, ægrumque morti lentæ et inevitabili destinat.

Morbus signa tam manifesta ostendit, ut vix cum ullo alio confundi potest, licet tamen notas indicare quibus dysenteria et cholera dignosci queant. In cholera dejectiones frequentissimæ sunt, sed ex fæcibus alvinis, bili, et cibo crudo mixtis constant; et copiosiores quam in illo morbo, sunt, tenesmusque interdum sequitur. Vomitus in Dysenteria rarius, et ad initium solummodo adest; dum semper urget in cholera et per decursum ejus perstat. In Dysenteria secretio bilis imminuitur; in altero bilis majore quantitate secreta tum sursum, et deorsum ejicitur. In cholera, spasmi surarum artuumque magis urgent, in Dysenteria etiam, sed non in eodem gradu cruciant. Discrimina præcipua haud dubitanda inter hos morbos enarravi alia in libris inveniuntur quæ non enumerare oportet. A plurimis affectionibus abdominis facile distinguitur. Cum diarrhæa tamen summam analogiam habet quæ differt in dejectionum aspectu et spasmorum, et febris gravis absentia.

Quod causam proximam symptomatum supra recensitorum attinet, fuere ex medicis veteribus qui sententias multas futiles, et parum idoneas habuerunt. Erosiones aliæque læsiones intestinorum effectibus fellis corrupti, cæterarumque secretionum mordacium tributæ fuerunt. Func-

tiones turbatæ, natura symptomatum et apparitio tunicæ coriaciæ in sanguine detracto facile indicâssent nexum insignem inter dysenteriam et cæteras phlegmasias, inspectio tamen cadaverum procul dubio probavit eam ab inflammatione pendere.

Quum cognitum quoque sit talem actionem non solum structuram partium sed etiam qualitates secretionum in membranis affectis, mutare, licet concludere dejectiones acres non solum non causas esse inflammationis sed ex ea ipsas oriri, quin tamen possint exacerbare morbum nemo negabit.

Quum cadavera Dysenteria enectorum patefaciamus, intestina multum inflammata et quo a ventriculo remotiora sint, eo magis depravata invenimus. In intestinis tenuibus vestigia inflammationis non amplius quam paucos pollices a valvula Ileo-cœcali distant; aliquando vero tunica villosa veluti arte anatomica injicitur, aut ejus textura mutatur; remollities rubra vel alba vel ulcerationes accesserunt. Læsiones crassorum, multo graviores sunt; notæ in his intestinis in exemplis diversis variant. Inflammationis exitum esse in sequentia vitia reperimus. In densationem vel indurationem membranæ internæ, in ulcerationem, in abscessus, præcipue in terris calidis, et denique in gangrenam quæ vel

superficie interna cohibetur, vel si dictis domini BANFIELD credimus, substantiam intestini totam diruit. BANFIELD quoque asseverat membranam villosam a tela cellulosa subjacente sejungi et per anum eliminari posse, sed vix credere volo, quippe quia nondum cadaverum inspectione comprobatum est.

Præter hæc, sæpe complura tubercula præcipue in flexuris coli pustulas variolæ simulantes sese ostendunt, quæ tamen folliculi mucipari sunt inflammatione correpti; hepatis substantia vitii conspicui expers est, et reliqua viscera labe nota carent.

De ratione symptomatum multi insignes medici adhuc contendunt, et vero inter tot et tam varias opiniones meam interponere nolo. Verisimile tamen est, ut antea dixi, profluvium materiæ dysentericæ ex inflammatione intestinorum oriri et non ex copia fellis aucta, vel qualitate mala. Nihilominus palam est, aliquam mutationem secretionis in hepate vel primariam, vel per consensum cum intestinis induci, quæ post breve temporis spatium nonnullis ex symptomatibus originem præbet, vel saltem ut hæc pejora evaderint facit.

Functione hujus visceris impedita magna sanguinis congestio in venis fit, qui postea in mem-

branam mucosam quasi arte mechanica infunditur, et profecto effluit et cum dejectionibus miscetur.

Profluvium sanguinis hanc causam agnoscere vix ab absorptione ulcerante pendere experimentis atque observatione pro comperto habetur. Impediendo enim reditum sanguinis per jecur, color quam maxime eximius intestinorum conspicitur; hæc cito colorem ei cochinella effecto similem adipiscuntur et sanguis deinde effunditur. Et post mortem truncos majores, ramulosque venarum mesentericarum, sanguine refertissimos reperimus, et præterea dejectiones sanguinolentæ in exemplis quibusdam conspectæ sunt, ubi neque ulcerationes, neque mutationes ullæ structuræ oculis patentes, deprehendi poterant.

Actio medicamentorum quoque hanc opinionem roborare videtur. Hydrargyrum enim in multis gravioribus exemplis, molestias Dysenteriæ sublevat, quod vero munus hepatis instaurando, ideoque congestionem summam in ejus vasis, et indirecte intestini inflammati tollendo, præstare videtur. Sed quænam sit ista jecinoris conditio, quæ causa accessoria fiat, adhuc in tenebris est.

Tormina quoque et tenesmum indicia dysenteriæ insignia, inflammationi cuidam *propriæ*

tunicas musculosam, et mucosam intestinorum simul corripienti, sunt qui tribuerunt. Quam multa sint, aut quanti valeant argumenta ad hanc opinionem adjuvandam nescio; neque intelligo cur non liceat putare inflammationem communem ab intima, ad tunicam musculosam serpere posse, contractionemque ejus fibrarum abnormem efficere unde spasmi vehementes oriuntur. Certum est hæc symptomata ab inflammatione fibrarum musculosarum intestini seu rheumatismo (si hoc verbo aliquis uti gaudeat) pendere, et facilius accedere, vehementiusque torquere in Dysenteria, quia plerumque post æstum aëris ingentem grassatur, cum genus nervosum mobilius fit, et calor vim sentiendi, et contractilem in corpore auxit.

Sed calida temperies cœli æstiva non solum hoc efficit, homines admodum proclives ad Dysenteriam, et alia viscerum chylopoëticorum vitia quoque reddit; quomodo haud probe explicari potest sed actionem peculiarem in membranas internas, per consensum eas inter, et cutem intercedentem, præstare videtur, ideoque eas inflammationi quam maxime opportunas si quodvis interni stimuli admotum fuerit, facit. Hæc proclivitas intestinorum in iis qui vitam in oris calidis degunt fortasse oritur, quia membrana mucosa quoque debilitatur dum corpus totum

simul calore solutum, effectibus potentiarum generalium quæ morbos excitant, obnoxium fit.

Ad causas remotas nunc transeundum est; harum duo genera sunt, nempe, quæ membranam mucosam directe irritant, et externæ, scilicet aëris constitutio, miasmata paludum, et contagium. Dysenteria sese plerumque prodit sub finem æstatis calidæ, ubi ardoribus autumnalis diei, vespere, rorationes humidæ, vaporesque frigidi succedunt; ideoque plus in plagis tropicis quam in Europa sævit. Quando homines sporadice adoritur vel etiam epidemice incidit a conditione aëris sola pendere censeatur, etsi quidem BANCROFT huic opinioni parum assentitur, et miasmatum paludis effectum simultaneum ad Dysenteriam excitandam essentialem esse potius opinatur. Me judice tamen sat rationis est, cur credamus frigus, et humiditatem solam calori supervenientia, vel cum eo vice mutua alternantia, si modo res aliæ faveant, inflammationes membranæ mucosæ intestinalis ciere posse: et dysenteriam ex his causis solis proficisci luculenter constat ex historia notabili a JOANNE PRINGLE equite ad paginam XIX ejus observationum de Morbis Exercitus tradita.

Die XXVIto mensis Junii, anno post CHRISTUM natum, MDCCXLIIItio, vespere,

castra mota sunt, agmenque totam noctem iter faciebat, et postera luce apud Dettingenam cum hoste prælium conseruit. Nocte subsequente, milites in campo ubi pugnaverant, sine tentoriis, imbri plurimo objecti jacebant. Die postero ad Hauniam castra moverunt, et loco meliori sed sub dio posuerunt. Humus autem madebat et per noctes duas, vel tres militi stramentum deerat. Ob eas causas fortuitas mutatio subita in valetudine exercitus fiebat; æstas enim calidissima fuerat et frigore corpori admoto perspirationemque per meatus seu poros cutis prohibente, humores quos ardor æstatis percoquerat, in intestina conversi dysenteriam excitarunt, quæ per partem ejus belli haud parvam perstabat. Octo fere dies post prælium milites circiter quingenti eo morbo correpti sunt, et post hebdomadas paucas, pars fere dimidia exercitus vel eo laborabat, vel ex eo convaluerat.

Dysenteria in una quoque e nostris navibus bellicis, accedebat ob vestimenta, stragulaque nautarum, per procellam ingentem aqua mersa, et quia nautæ labore defessi, et inedia confecti, per aliquot noctes in tali conditione ingrata dormiebant. Hæc, et multa alia exempla, quæ citanda essent ni prælonga forent, probant homines interdum, ob temperiem cœli post æstatem humidam solam dysenteria periclitari; sed

nemo jam dubitat, quin miasmata paludum in plurimis exemplis quam maxime dysenteriæ propagationi faveant.

Dysenteriam in Helvetia latissime grassatam esse, quondam, ubi temperies cœli valde mutabilis fuerat a ZIMMERMAN certiores fimus. Aer ibi mense Junio, admodum variabilis fuerat, sed maxima ex parte humidus, et quum sol e nubibus effulserat, calor suffocans accedebat. Per mensem Julium, indolem eandem monstravit, quanquam statio hydrargyri in Barometro haud tam sublimis ac in mense præcedente erat. Parte prima Augusti cœlum erat nubilum, et multa pluvia decidit; sub finem, serenum, et dies calidi, sed simul noctes per aliquod temporis spatium frigidissimæ fiebant. Postea cœlum perpetuo serenum erat, et ad meridiem, calidissimum, mane vero, vespere, et per noctem totam præcipue frigus intolerandum præstabat; ad postremum aer nubilus, humidus, et valde mutabilis fiebat. In hoc exemplo hic citato, dysenteriam, miasmate e paludibus evoluto nasci, concludere licet, omnia enim ejus generationi maxime favebant, et epidemia locis certis cohibebatur, cujus rei, ZIMMERMAN quippe qui dotes miasmatum ignoraret, rationem nullam reddere poterat. Quinetiam hunc morbum ex tali

causa in quibusdam ex pagis Helveticis orientem stragem ingentem fecisse nemo jam nescit.

Dysenteria quoque in Belgico prorsus endemica est ubi pauci elabuntur anni quin multi ei morte succumbant. Apud Bataviam, in insula, Java, in multis partibus terrarum occidentalium, in Egypto, et in Bengala, ubi, terras paludes ingentes fædant, et canales per eas errant, ubi, amnes immensæ ad mare volvuntur, quæ temporibus certis extra repas diffluunt, et postea in alveos suos redeuntes aream ingentem actioni solis objectam relinquunt, incolæ, et advenæ inde Dysenteriæ maxime obnoxii sunt. Calor magnus fortasse aquam dissociat cujus hydrogenium, cum principiis materiæ vegetabilis jungitur (quomodo haud compertum est) et malariam gignit, quam causam esse Dysenteriæ plane constat, et sæpe modo insigni comprobatum est: sicubi ventus ea loca ubi nascuntur miasmata perflat, plurimi enim flamini exitiali objecti statim afficiuntur, et castra, nosocomia, et etiam naves procul semotæ hoc vitio pariter et febribus cum intermittentibus, et remittentibus plectuntur.

Quum causam supra dictam febribus hujus indolis quam maxime favere noverimus nil mirum erit, Dysenteriam adeo sæpe cum intermittente conjungi, ut quidam putent ejus prolem semper esse. Multa jam dicta fuere, et dicenda essent

de hac opinione, brevitas autem tentaminis hujusmodi prohibet. Omnia quæ corpus debilitant, quæ humores partes versus internas vertunt, et ibi congestionem efficiunt, Dysenteriam gignunt; ideoque actio effluviorum paludum, vel frigoris vel ut alii dicunt contagii ei morbo originem dare possint, sed uti talia miasmata causæ præcipuæ morborum in oris calidis sunt, sequitur, ut febris intermittens cum Dysenteria sæpe, tum in eis locis, et in Europa per æstatem fervidam consocietur. In multis tamen exemplis, Dysenteria vim propriam exercere videtur. Si febribus ejusmodi supervenerit ordinem earum regularem obruit, et imperio quodam tyrannico quasi potita, omnes alios morbos in sese convertit.

De tertia causa, vel vi contagiosa Dysenteriæ, multi multum disputârunt. CULLEN in Primis Lineis Medicinæ Practicæ asseverat, Dysenteriam sæpe evidenter frigore admoto oriri, sed semper contagiosam esse et actione hujus contagii, sine ope frigoris, aliarumve causarum excitantium propagari posse, et in castris aliisque locis epidemicam fieri; "Dubitandum esse igitur," ait, "num frigus admotum unquam morbum excitet, nisi quando contagium specificum prius in corpus acceptum fuerit, et demum verisimile esse contagionem specificam semper pro causa remota haberi oportere." Hanc opinionem falsam, et

prorsus ineptam, nullo argumento, aut exemplo sustentatam, investigationes de natura contagii nuper institutæ, et historia Dysenteriæ bene refellerunt. Quanquam plurimi ex medicis "addicti sunt jurare in verba magistri," nonnulli tamen Dysenteriam per contagionem propagari omnino negant. Dr BALLINGALL, "satis esse dicere," ait, "in millibus aliquot hujus morbi exemplis nihil accidisse, unde suspicio etiam, affectionem ita propagatam esse deduceretur." Sed interdum quanquam rarius per contagionem specificam propagari forsan posse, concedendum est. Siquando in regionibus calidis erumpit, aut milites adoritur, et plurimos simul corripit, non idcirco eam per contactum inferri credere licet; omnes eodem tempore vel viritim afficiuntur quia iisdem causis excitantibus æque objiciuntur. Morbum quemvis contagiosum esse, haud certi fimus, nisi procul dubio positum sit, hominem nulli aliæ causæ remotæ objectum, per contactum ægroti solum morbo correptum fuisse.

"Il est manifeste," ait PINEL, "que la Dysenterie n'est point constamment contagieuse, mais que quelques circonstances particulieres, comme sa complication avec une fievre adynamique (typhus), peuvent la rendre propre à exercer ses ravages, au loin et avec beaucoup de promptitude. Celle que j'ai observée en MDCCXCIII, parmi les

aliénés de Bicêtre, semble avoir été telle indépendamment de cette complication, puisqu'elle s'est répandue successivement dans toute cette partie de l'hospice, par un dysenterique arrivé de l'Hotel Dieu. Je presume que la Dysenterie fut propagée par les vapeurs, élevées des lieux d'aisance, qui étaient communs à tous les aliénés, et qui furent d'abord infectés par les selles du premier homme attaqué de la Dysenterie."

Multæ observationes haud dissimiles ab aliis factæ idem docent. Plerique omnino negant Dysenteriam unquam contagiosam esse nisi fortasse ubi accidenter consociatur illi Febris Typhodes, vel ubi modo supra dicto communicatur; sed de propagatione morbi per contactum medici in contrarias sententias adhuc distrahuntur.

Hæ causæ generaliores, per cutem vel pulmones ob arctam consensum functiones earum inter et cæterarum partium, corpori noxam inferunt ideoque a Mason Good Sympatheticæ adpellantur; sed aliæ quoque causæ occasionales, si cum iis simul agant, membranam mucosam intestinorum irritantes Dysenteriam excitant. Hujus generis ingens turba est, sed ex iis errores diætæ vel frigus subito ventriculo admotum, prehensione aquæ gelidæ, vel potus aquæ impuræ diuturnus, locum principem merentur. Dysenteria sæpius temporibus et in terris sæviit ubi,

incolæ, ob belli calamitates, et annonæ caritatem, penuria, et ærumnis obruti quo poterant victu aspero, et parum nutriente, et herbis quæ difficilius concoquuntur, vesci coacti sunt. Non semel in Hibernia accidit ubi, mores plebem miseram ad eum morbum admodum proclivam reddunt. In Hungaria et in Helvetia ob easdem causas sæpe oritur; exercitus quoque devicti incommodis accessoriis objecti, spe fracta, et dedecore oppressi formis Dysenteriæ pessimis obnoxii sunt.

Haud secus ac inter ruricolas, exercitusque, ob cibum insalubrem (et quia liquoribus alcoholices gaudent) oritur ; voluptas edendi nimis, cultæ dapes, potionesque tempestati anni parum convenientes, inter ditiores hoc malum cient. In regionibus tropicis præcipuè ubi cœli temperies, omnesque aeris potentiæ ad corpus debilitandum, et proclivitatem ad morbos membranæ mucosæ intestinorum efficiendam conjurant.

Causis, sede, atque indole Dysenteriæ cognitis, ad curationem nunc transeundum est. Quæ medicamina in hoc morbo adhibenda debeant, nemo fere qui ad ejus signa animum attenderit nescire potest. Oportebit, ut ægrum ad sanitatem reduceremus, imprimis inflammationem compescere, et vasa mesenterica nimia copia san-

guinis exonerare, ejus missione; alvumque sollicitare; secretiones diversas restituere; et remediis idoneis signa morbi molestiora mitigare. In exemplis mitioribus, auxilium præcipue in idonea diæta positum est; in gravioribus rationem medendi a SYDENHAM institutam maxime pollere, plurima experientia comprobavit, igitur eadem fere remedia in his terris a medicis usurpantur.

In principio morbi, SYDENHAM sanguinem mittere soluit, hora somni anodynum, et postera luce quodvis catharticum, scilicet, rhei palmati drachmam et semisse, sennæ drachmas duas, et fructus tamarindæ semunciam cum manna, et syrupo rosarum in aqua solutas administravit. Catharticum bis altero quoque die in omnibus exemplis repetebatur, post quamque evacuationem guttis xviij laudani ad irritationem quam medicamentum effecisset tollendam sumptis. Anodynum idem cum diaphoretico, quaque nocte, et mane, dierum etiam quibus catharticum haud assumptum erat adhibere solebat. Si hoc parum sufficeret, guttas viginti quinque laudani fortioris, hora quoque octava æger sumebat, et ad sudorem eliciendum et promovendum diluentia in magna quantitate; et ut perspiratio libere manaret, per horas viginti quatuor saltem, nil nisi serum lactis vel decoctum album bibere ei li-

cuit. Enemata aliquot emollientia adhibita, plerumque tormina molestiora, et dejectiones sanguinolentas sublevarunt; sin autem secretio mala in formam chronicam degenerasset, ut actionem novam et saniorem induceret, enema ex semuncia terebinthinæ venetæ in octario lactis vaccini soluta quotidie immittendum SYDENHAM præcipiebat, ita, ait MASON GOOD, præoccupans curationem hodiernam, quæ effectum eundem per resinam liquidam copaibæ terebinthinæ haud dissimilem molitur. Ratio medendi haud parum similis in Dysenteria, uti in Hibernia grassabatur curanda, cum maxima utilitate usurpata fuit.

De singulis remediis quæ medici in hoc morbo dederunt nunc pauca fusius præponere non alienum videtur, imprimis de sanguinis missione. In plurimis exemplis si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est: Si vero symptomata inflammationis ad initium vehementer instant, si abdomen dolet, et tangi impatiens est cum tensione, si quoque febris ingens adest, ubi pulsus plenus, durus, vel validus est, pauxilli sanguinis tantum detractione, minime contentos esse nos oportet; depletiones autem magnæ, celeres, et crebræ esse debent, quamdiu eas, indicia postulare videntur. In regionibus calidis ubi Dysenteria velocissime cursum suum peragit, hoc re-

medium maturius, etiam ab incipio rapiendum est. Neque id unquam prætermittere licet ob metum, ne incolæ hoc auxilii genus sustinere non possint; metum sine justa causa esse usus ejus ostendit. BAMFIELD necessitatem, sanguinem demittendi et liberius, quam prejudicia vulgi tuto fieri concederent, vehementer inculcat. Utilitas vero ejus remedii, uti ait, plurima observatione comprobatur, quippe quod mirabiliter huic morbo prodest si tempestive adhibeatur, et semper signa sublevat. Sibi porro persuaderi, dicit, non modo mortem, si sanguis sæpius detrahatur Dysenteriam rarius secuturam esse, sed effectus quoque inflammationis solitos minus frequentes evasuros; satius enim esse anceps auxilium experiri quam nullum, et periculum debilitatem lethalem inducendi sequelis inflammationis consuetis amplius exæquari. Pleraque exempla morbi in quibus venæsectio a nostro chirurgiæ militaris professore, apud Madras instituta fuerat, exitum felicem habuerunt. Dr BALLINGALL sese pigere dicit, quod hanc medendi rationem non ulterius persecutus erat. Se enim venæsectionem sæpe liberam præmittere coactum esse, ob reverentiam opinionum medicorum seniorum, qui hoc genus auxilii constitutionibus incolarum parum accommodatum esse sibi persuaserant, et quia denique milites sub suo præsidio in mari

diu jactati fuerant, labore et caritate ciborum idoneorum obruti quoque fuerant.

In talibus exemplis si detractio sanguinis geralis anceps, et periculosum auxilium esse videatur, oportet admoveamus parti quæ dolet hirudines quarum usus, eodem tempore, dum cætera remedia adhibeantur, a plurimis auctoribus maxime laudatur, et nunquam spem medici fallit. Multi etiam suadent hirudines ano ipso quoque applicare; uti sæpe Lutetiæ Parisiorum fieri videmus, et ANDRAL in suo libro de Medicina Clinica multa exempla tradit in quibus praxis supra dicta multum profuit. Sed ei soli non confidendum, et Hirudines simul abdomini admovere optimum est.

Remedia quæ alvum cient in Dysenteria, quoque usurpari debent; quamprimum aliquis hoc morbo ægrotat catharticum dandum est, ad fæces eliminandas quæ in sacculos coli impinguntur, et quæ invicem nonnulla ex symptomatibus excitant vel saltem augent; atque ad secretiones partium illæsarum intestinorum promovendas. Hoc si Diarrhœa Dysenteriam antecesserit, non adeo forte postulatur, ac si constipatio alvum astringit, sed etiam per totum morbi decursum hæc remedia sedulo adhibenda sunt, et ea multum huic morbo prodesse experientia docuit.

In regionibus sub curru solis propinqui solutiones salium mediorum optima cathartica sunt, veluti sulphatis magnesiæ, vel sodæ cum tartrate antimonii in infuso sennæ. Oleum Ricini quoque larga manu datum, bonum remedium est utpote quod et lenissimum sit, et aliquando citissime effectum optatum præstet; vel ad usum pulveris jalapæ aut extracti colocynthidis compositi, cum submuriate hydrargyri confugiendum est. Huic remedio prostremo præ cæteris fidendum est, quia junctum cum aliquo ex medicamentis supradictis, alvum deducit, omnesque secretiones, evacuationesque corporis promovet, ideoque functionem jecinoris instaurando, vasa mesenterica citius exonerat. In dosibus largis et frequenter repetitis, submurias dandus est, neque tamen ut, ptyalismus induceretur. In stadio Dysenteriæ acuto, chloridem hydrargyri omnibus remediis aliis rejectis, in multis exemplis adhibere neque oportebit, neque vero tutum erit.

De Emeticis et Diaphoreticis. Num sit idoneum ex his priora ad vomitum ciendum ingerere dubitatum est; si nausea tamen inducitur onere cibi crudi, sive aliqua acria in ventriculum paulo antea recepta fuere, ægrum capere dosim pulveris vel vini ipecacuanhæ jubere debemus, non solum ut omnia nocentia e

ventriculo rejiciantur, sed quia, nixus qui vomitum comitatur, sudorem quoque, et liberam sanguinis ad corporis superficiem distributionem promovet, et vasa jecinoris emulgit. Morbo inchoante emetica perutilia sunt et salutares naturæ conatus secundant, sed per decursum, administrationem emeticorum ne noxia forent, medici deprecant. Experientia attamen satis ostendit utilitatem medicamentorum, quæ diaphoresin movent haud dubiam esse, eaque maxima et certissima vi ad morbum solvendum pollere. Ob cutem in Dysenteria aridissimam, et ob nexum, et consensum hanc inter et membranas mucosas, ut in statum naturalem transpiratio cutis reduceretur magni interesse, bene perspicuum est.

Eliciendo humores ad superficiem hic morbus imprimis tollendus est. Inde Sydenham consilium habuit, quam primum sudorem promovere. Opium cum ipecacuanhâ junctum vel forma pulveris Doveri, semper usurpatum fuit; et maxime laudatum, multum in Dysenteria ad sudorem ciendum valet, omniumque consensu efficacissimum habetur. Ut actionem hujus medicamenti adjuvemus, ægrum in balneum tepidum demittere oportebit, etiam quia dolorem quoque minuit, somnum conciliat, et ischuriam submovendo signum ægro molestissimum tem-

perat: Atque donec Dysentericus actioni horum remediorum subjicitur, ne ad eum frigus adspiret, curiose vestimentis involvendus est. Igitur, rejectis omnibus stragulis linteis, laneis solis uti debet; fascia quoque ex lana abdomini præcipue circumdanda est; de cujus usu et utilitate Dewar in historia Dysenteriæ Egypti quam tradidit, multum eloquenter disseruit, usumque cujus Jacobus Macgregor, Eques quoque, quam maxime laudat. Neque profecto quicunque levamen magnum inde oriens, semel vidit, ægrum se indusio tali vestire, unquam jubere negliget, et etiam ut id per morbi decursum et dum convalescet gerat.

2. Ob consuetudinem sudandi prægressam, cœli temperie effectam, et propter æstum tempestatis anni in qua Dysenteria plerumque grassatur, portiones sudorificorum minores in India effectum optatum edent, quam quæ sub cœlo frigidiore ad eundem præstandum nescessariæ sunt. Hoc meminisse oportebit, et quoque, morbos illius regionis indigenarum eadem remedia in minore quantitate, quam Europæorum advenarum expetere.

De exhibitione calomelanos in Dysenteria mentionem jam feci, sed diversa hydrargyri præparata ut actio propria ejus inducatur usurpantur, et in multis exemplis pertinacioribus cum

summo beneficio. Ad salivationem lenem arcessendam tria grana submuriatis hora quaque ivta, ingerenda sunt donec os et gingivæ afficiantur, et hic effectus sustineri debet usque donec morbus in melius spectet. Siquando morbus ad finem velociter festinat, amplius datur ut citius agat; vel effectus ejus inunguendo expediri queat.

Hoc remedium tamen cæteris rejectis semper et in omni tempore dare non suadendum est. Johnson etiam, qui curationem Dysenteriæ, ptyalismo inducendo per hydrargyrum, in omnibus exemplis pariter, laudat, nonnulla ex remediis supra propositis conjungere solitus est. Hæc ratio medendi limitibus quibusdam circumscribi debet; in ægrotis diathesi scorbutica, vel strumosâ præditis, his enim fortasse salivatio nocebit, ut eundem effectum nocivum in formis Dysenteriæ valde acutis præstare potest, si hydrargyrum antequam vis inflammationis per venæsectionem, et alia remedia aliquantum subigatur adhibitum fuerit: Rebus se ita habentibus exitum felicem minime inducere a Doctoribus Ballingall et Bamfield repertum est, qui summam ejus utilitatem in stadio chronico concedunt. Hydrargyrum ubi vi sibi propria agit, morbum tollere videtur, non modo Hepatis functionem sanam instaurando, quamquam eo tenus

multum juvat, sed etiam quia omnes secretiones totius corporis simul promovet. Nonnunquam accidit, uti ait BRANDE, ut salivationi pertinaciter obsistatur et magnæ doses repetitæ protoxidi os afficere nequeant; sed in exemplis talibus, vel profluvium ingens urinæ redditur, vel perspiratio præter solitum magna adesse reperietur, quæ exinanitiones salivationem compensare æstimentur; quando revera salivatio inducitur hæ secretiones plerumque augentur. Hoc igitur bene noto, quanti hoc remedium æstimari, et cur salivatio usui remediorum Diaphoresin et alios effectus cientium supersedere debeat, intelligere possumus. Curatio tamen per hydrargyrum in hac regione et in Hibernia non semper adeo ac speratum erat, prodesse Dysenteriæ inventa est.

Rationes medendi diversæ a Doctore Cheyne tentatæ fuere, qui denique in exemplis gravioribus, curandi modum parum ei a SYDENHAM instituto dissimilem usurpavit. Opium optimum et efficacissimum remedium esse, ideoque oportere id libere, et cum fiducia præscribere dicit. Opium minuendo sensum et irritabilitatem, tormina, tenesmumque signa molestissima (quæque inflammationem exacerbant) tollit; et quia mobilitatem generis nervosi ab actione calidæ temperiei ortam sedat, causa morbi egregia amota,

cætera remedia facilius secretiones ad regulam solitam, ægrumque citius in sanitatem perducere possunt. Refert tamen prius vim inflammationis compescere, quam, opium in Dysenteria adhibemus ne remedium non modo non commodum, sed etiam nocivum foret. Hyoscyamus niger igitur fortasse melius usurpari potest. Cum summo beneficio etiam in inflammatione acuta administratur, ut dolorem mitiget; opio dissimilis non alvum tardiorem facit, neque secretiones, excretionesque minuit, sed potius has promovet.

Præter hæc remedia, in hoc morbo usurpata sunt et alia, quæ aliquid auxilii afferre queant. Prodest, ventrem multa aqua calida fovere, cura adhibita ne ulla evaporatio fieret, dein ægri abdomen fascia ex lana involvere. Excitatio localis quoque cutis parte quà dolet per vesicatorium, summo beneficio comitatur. Doctor BALLINGALL ait eam semper dolorem, et alia symptomata sublevare; attamen me judice usus hujus remedii prætermitti queat, quamquam profecto vix quodvis remedium, ob causam minoris momenti omittere licet, quod, summoturum, aut allevaturum esse eos Dysenteriæ angores cruciantes, experientia aliorum docuit.

Neque enemata in hoc vitio inutilia sunt; ad initium, enema laxans ex oleo Ricini ad scybala,

aliasve materias fæculentes eliminanda, administrandum est; et morbo progrediente, anodynum commune ex decocto avenaceo et tinctura opii confectum subinde injiciatur; atque sub finem, ubi inflammatio tollitur lævitate intestinorum perstante, enemata astringentia, vel terebinthinata a plurimis medicis laudata adhibere oportebit, ut actio membranarum mutetur et melior fiat. Eodem tempore summa cura adhibenda est diætæ ægrotantis, qui quoque et aliqua remedia tonica, sive vegetabilia, sive cum acidis mineralibus conjuncta sumere debet. Si tamen lævitas intestinorum, si conditio alvi præter solitum laxa diu moratur, medici est, cavere ne ægrotus convalescens ulli causæ excitanti objiciatur. Ægrum igitur victu leni, nutriente, et concoctu facili, vegetabilibus crudis et flatum cientibus evitatis, vesci oportebit: subinde lene laxans sumere, ne fæces quovis modo in colo acerventur; quæque ventriculum roborant, scilicet astringentia, ex queis, infusi catechu cochleare magnum bis terve in die multum morbo prodesse ipse vidi.

Talis profecto in Europa, et cum validos ad regiones calidiores advenas corripit, acutæ Dysenteriæ decursus esse potest; et talia sunt remedia, haud lenta, quæ expetit: sin autem constitutio generalis totius corporis, aut organa al-

vina præcipue debilitantur, vel relaxantur actione ullius causæ prædisponentis, in conditionem chronicam morbus interdum admodum proclivis est. Hujus conditionis symptomata in prima parte tentaminis mei depinguntur, nunc licet, et satis erit pauca de eorum curatione tradere.

Eadem remedia ac in stadio acuto, ad indicationes speciales peragendas ex usu, non prohibentur. Hydrargyro tamen et medicamentis quæ sudorem eliciunt scilicet, pulveri antimoniali, et ex jalapa composito maxime confidendum est. Ptyalismus lenis sive pilula hydrargyri sive inunctione excitatus, donec secretiones restituantur, et dejectiones aspectum suum naturalem recipiant sustinendus est. Hic quoque enemata ex oleo terebinthinæ vel resina liquida copaibæ terebinthinæ plurimum utilitatis conferre queant; quod ad diætam spectet, et usum astringentium eadem præcepta, Dysenteriæ chronicæ et acutæ pariter conveniunt.

Causis, sede, et indole morbi cognitis, atque perpensis manifesto apparet quomodo cavendum sit, ne in secunda valetudine adversæ præsidia consumantur. Quicunque ad plagas equatori subjectas migrat, ad suam sanitatem tuendam, præcavere imprimis debet solis ardores

et gestationem sub æstu. Indusio lanæ quia corporis calorem æquum servat, actionem ardentis solis arcet, corpusque sudans a frigore incolume præstat vestiendus est. Sub cælo isto orientali indigenis mos est corporis medium cingulo accingere, quod ubi vestimenta ex toto lanea induere nollent advenæ assumerent; vestitus indigenarum hæc pars ab illis Cumerband adpellata, haud minus valetudini præsidio, quam ipsis corporibus ornamento est.

Consuetudini eorum alii, res scilicet aromaticas edendi nil objici potest.

M. Pinel in sua Nosographia, usum aromaticorum strenue laudat, et, ex tali consuetudine, indigenas, terrarum orientalium ab effectibus Dysenteriæ, morborumque aliorum fere immunes esse putat. Non tamen credo, indigenas cujusvis regionis ab impetu Dysenteriæ immunitate frui, neque facile creditu erit talem immunitatem, si aliqua revera esset, ab usu calcis vivæ aut rerum aliarum adeo acrium ut dentes exedant, uti ait Pinel, proficisci posse.

Ii præ aliis morbo minus obnoxii sunt, et quia structuram cutis propriam habent, et præcipue consuetudinem lavandi, et sese oleaginosis, qualia frigori aliisque causis excitantibus morbi fortiter repugnent; et quia vitam temperatiorem degunt. Advenæ enim temperati, quique cæteris

præcautelis similibus utuntur, potentias cœli nocivas non secus ac indigenæ effugere videntur.

Usus modicus aromaticorum haud parum prodest ; in turbationibus functionis intestinorum levioribus, quæ tamen morbum graviorem minitantur, frustulum cassiæ aut Zinziberis mandi queat, quem morem uti a DEWAR certiores fimus, Mameluci in Egypto consuetum habent, quippe qui dolores ventris sublevet, effectusque gratissimos præstet. Sed temperantia vitæ cum præcautelis supra dictis, sola salutem, quatenus fieri potest, certam reddere valet.

FINIS.